

honorati muneribus, recesserunt. Anno igitur Domini M^o CC^o VIII. Philippo modo, ut premittetur¹, occiso, pars Ottonis prevaluit et in Halberstad, ut premittetur¹, de novo electus et deinde in cunctis, ut prescitur, prospere agens de adversario et aliis adversantibus suis modo premissis feliciter imperavit.

[D]eus autem, provisor omnis boni et dator gracie, ne idem gloriosus princeps delectatione rerum presentium efflueret, dilectus et electus ab eo, occulto suo iudicio magnas ei adversarias

Seite 2.

admittens in virga correctionis peccata eius forsitan visitavit, a quo tamen misericordiam suam non abstraxit. Nam, bellis et preliis [gra]vibus provocatus, incendia tamen et cedes pauperum ipse maxime exhorruit², * et precipue cor eius concussit, * unde et orare solebat, quod eum Dominus de regno misericors absolveret et in eo, qui ad id regendum esset utilior, provideret. Factum est ergo, ut regni sui anno IX. in Hartisburg moreretur in contritione et devocione maxima, prout a viris fide dignis et confessoribus suis est narratum. Sepultus fuit in Brunswik cum uxore sua Beatrice et patre duce Henrico et matre sua domina Mechtilde, ubi etiam sepultus est frater eius dux Henricus, comes palatinus Reni, qui post eum obiit anno nono.

Memoriale itaque perpetuum de tanto principe memoria dignu[m] hic merito subinfertur, quo Deus animare dignatus est illorum confidentiam, qui prefato benignissimo principi, dum viveret, familiarius adhererant et postmodum pro salvatione eius deprecando devotius insistebant. Denique cum ante obitum suum in preliis hostem sibi magis vicinum episcopum Halberstadensem haberet, eidem fortius resistebat et loca civitati adiacentia vastando sepius peragrabat, locum tamen novelle plantationis prope Halberstad, videlicet ad sanctum Borchardum, sibi singulariter affectu miserationis impressit, ita ut locum a dampnis conservari vellet et ancillis Christi ibidem Deo servientibus frequenter elemosinam inpertiretur¹. Nuntius autem prepositi, qui Goswinus dicebatur, qui et imperatori familiaris erat, venit ad ipsum proxima xl^{ma} ante obitum suum, cupiens de gratia consueta aliquid obtinere, unde ieiun[an-

1) So im Ms.
Ms. durchstrichen.

2) Die Worte zwischen den beiden Sternen im